

1888



W. Sch

0014.




H. o. 273. a.



14.





MARIVS DE STRACHIN
DIS NIHIL PROBANS,

SEU

ORATIO
INAUGURALIS PRO SO-
LENNI INTRODUCTIO-
NE HABITA.

MAGDÆBURGI,

*Prid. Calend. Jun: anni cto lxxc xlv, in qua
Marij de Strachindis ICii.*


RATICIVS NON RADI-
CANS EXAMINATUR ATQ; RE-
futatur: nec non Raticij naturæ congruentissi-
ma, & nullo auro comparanda methodus
docendi linguas, à plurimorum moribus
& decommatibus vindica-
tur.

AUCTORE

M. GEORGIO MEIERO,
Einbeca - Saxone, HEBR. L. juxta
hanc methodum ibidem LE-
CTORE,

Magdab Typis ANDREÆ BEZELII, Sumtibus
AMBROSII KIRCHNERI, 1710.

7



O M N I U M

*Æquè ac sincerè, adeoq; citra af-
fectum, præjudiciumve,
Judicantium.*


C E N S U R Æ.

Orationem hanc

Subjicit.

AUTOR.

ORA-



ORATIO
APOLOGETICA,

*Pro methodo docendi discendique
Linguae,*

Dn. VVOLFANGO
RATICHO,

Primùm inventâ, & ab alijs fe-
licissimè exculrà.

REGIUS ille Propheta
David, Viri Magnifici, Am-
plissimi Consultissimi, nec
non Reverendi, Clarissimi
atq; Præstantissimi, Dn. Pro-
motores ac Meccoenates ma-
ximi, tuq; Juventutis flos, & ingeniorum sele-
ctissimorum lectissima coronâ, regius in-
quam, ille Propheta David, ab ipso Spiritu
S. percussus & afflatus, hanc, mirabilis provi-
dentiaè divinæ, consolatione foecundissi-
mam, Psam. 4. vers. 3. profert sententiam :

A 2 Con-



MARIUS

Cognoscite quia mirabiliter segregavit (vel duxit) Jehovah sanctum sibi. Cujus quidem sententiæ veritatem, si prolixius probare aut confirmare præsumserim, nescio an temerarius magis, quam absurdus futurus sem. Præterquam enim quod ipse Jehova Elohim, per os Davidis hæc verba locutus est: Omnium temporum historiæ, tam sacræ, quam profanæ evidentissimè demonstrantur veritatem ad oculum demonstrant, & vel sole meridiano clariorem reddunt. Quis enim in sacrarum literarum monumentis adeo peregrinus aut hospes sit, qui Abrahamum Patriarcham per multa & difficilia itinera à Deo mirabiliter ductum, nec itinere modo, sed & toto vitæ curriculo in fide singulariter servatum nesciat; dum possessionem terræ Canaan semini ipsius promitteret, & tamen ipso centesimū attingente ætatis annum, unigenitum, ex uxore Sarâ nona genariâ, Isaacum, inactari & immolari juberet?

Taceo Isaacum illum unigenitum, quem, novo prorsus exemplo parentis gladio, colum objicere, & tamē conservari oportebat. Silentio lubens involvo Jacobum & Jose-

phum

NIHIL PROBANS.

phum, quorum illum, fratris Esavi minæ, per
XX. circiter annos reddiderunt exulem: hic
verò nefario scelere fratrum invidiâ Imaëli-
tis diven di, & gravissimam servitutem expe-
riri coactus est. Ne verbulo quidem attingo
Prophetas, quorum omnium si quis vitam ac
vocationem perlustraverit, fungus sit, si non
idem ubiq; observaverit. Novi testamen-
ti historia simplices ac durioris conditionis
homines piscatores nimirum, in eum,
dignitatis ac sublimitatis evexit gra-
dum, ut in Scholâ ipsius filij Dei, Domini ac
Servatoris nostri JESU CHRISTI, per
aliquot annos eruditi, tandem in univertum
terrarum orbem emissi, præcones verbi di-
vini facti sint, veritatemque cœlestem, san-
guine largissimè profuso, ob signaverint.
Quod si quis vel historiam Ecclesiasticam,
vel alios scriptores Politicos volutaverit, næ
profecto eundem divinæ providentiæ mo-
dum satis superq; deprehendet. Et sanè
neminem nostrum esse arbitror, qui si vitæ
suz ortum, progressum, mirabilemque cur-
sum, paulo altius & attentius perpendit, de
semetipso hâc in re iudicium ferre non pos-

MARIUS

fit, Eandem & ego sortem hoc die experior, qui ruri natus & educatus, tandem post varios casus, & mille rerum discrimina, à vobis Viri Amplissimi, Reverendi, Clarissimi, ad prælectionem Sacrosanctæ Linguae, in hâc, pijsimo zelo & studio renovatâ Scholâ præter omnem meam spem atque expectationem (utpote qui nulli fortè vestrùm ante hac visus, aut de facie cognitus) vocatus atque designatus sum. Cum itaque dies hodiernus solenni Introductioni meæ, prudentissimo Amplit. Vrae Consilio sit destinatus; & pro more laudatissimo in omnium vestrum conspectu verba facienda sint, mihiq; hinc inde cogitanti, varia, quæ commodè dici poterant, occurrerent, quæ vel Scholarum bene constituendarum & necessitatem summam, & utilitatem maximam astruerent; vel Hebr. imprimis Linguae Dignitatem & Antiquitatem, ut de necessitate & jucunditate nihil dicam, assererent; vel controversiam quandam Theologicam gravissimam, contra hæreticos & textus Hebraici depravatores, ex fontibus defensam ac decissam retexerent: tandem ex im-

pro

NIHIL PROBANS

provisio incidi in scriptū nundinis hūc prae-
teritis in lucem emissum hominis, nescio cuius
qui sub ficto (uti creditur) nomine *Marium de*
Syrachindis sese appellat, & scripti titulū fecit
hunc: *Ratichius non radicans, seu, Explicatio &*
probatio, quod Didactica, seu methodus docen-
di, à wolffgango Ratichio proposita, non suffici-
ens, sed imperfecta sit. Quem ipsum Ratichiū
non radicanter a vidē excepī, & majori avi-
ditate perlegi; cū mirabiles futuræ mihi ra-
tiones viderentur, quæ optimā, naturæq; cō-
gruentissimā docendi rationem vel infrin-
gere, vel peritioribus hujus rei suspectam red-
dere queant.

Nec mea me fefellit opinio. Tantum nō
abest ut solida Ratichij fundamenta subver-
terit, ut extremam poti⁹ hac in re imperitiam
suā in lucē prodiderit Ex quo, ne dignus qui-
dē libell⁹ visus, in cuius refutatione aliquid o-
peræ studijq; poneretur, quippe qui semetipsū
destruere videbatur; Quia tamen Dominorū
Scholarharum opera tota in eo laudatissimē
versatur & occupata est ut non tantum valvæ,
fenestræ, parietes, scamæ, pulpita, scholæ huj⁹
nova sint, adeoq; externa, ædificiorū nimirū

MARIUS

structura renovetur atque perpoliatur, quod externum & leviusculum Scholarum decus: Verum etiam additis novis & gravioribus Lessionibus, eam faciem induat, ut jure meritoque Gymnasium salutariqueat, prætereaque verendum erat ne multorum animi scripto hoc offenderentur, & melioribus neq; visis neq; auditis malè de Didacticâ, hæc suspicarentur; occasione me nactâ esse idoneam arbitratus sum, si de hoc scripto breviter mentem meam exponerem. Cùm enim publica officia res satis graves & Theologicas & Politicas, sive id fiat in suggestu templi, sive fiat in curiâ, quotidie vobis offerant; non injucundum fortassis erit, hominibus de salute & incolumitate Scholæ hujus occupatissimis, de utraque docendi discendique ratione, antiquâ nimirum & novâ, disferentem audire, pro utraque parte rationes & fundamenta honestissimæ quasi delectationis ac recreationis loco, percipere atque cognoscere. Ita enim fiet, ut eorum vel firmitate vel imbecillitate (nequid gravius dicam) inter sese collatâ, judicium dexterius & candidius ferri queat.

Stat

NIHIL PROBANS.

Stat itaque sententia, propositiones Didacticas Ratichij, quas Marius hic nudè ponit dextrè explicare, & explicatas fulcire, & tam rationi, quam naturæ easdem conformes demonstrare: Deinde animus est autoris hujus antithesin quam ille ferè ubiq; tuetur, adductasq; ipsius rationes examinare atque refutare. In omnibus autem ac singulis, Scriptorem huncce *κτ̄ πρὸς α.* insequi & persequi, ratum quoq; atq; conclusum esto. Quod ipsum dum facere annitor à vobis. Viri Amplissimi Consultissimi, Reverendi atq; Clarissimi, eà, quâ par est, observantiâ, maximo opere peto atque contendo ne horulæ unius spatium aures vestras benevolas mihi balbutienti potius, quàm peroranti, subtrahere; sed attentas & patulas easdem præbere velit. Quod, si à vobis uti planè confido impetra- vero, secundis hisce, Oratio mea subvecta ventis, eum, quem sibi proposuit, tranquillitatis portum facilius ac feliciùs consequetur.

Antequam igitur ad ipsarum propositionum confirmationem accedamus, lubet paucis, verba autoris, præfationis loco præ-



MARIUS

missa, quæ de multis nos admonere possunt, retexere. Statim itaq; ab initio scripti hujus auctor à maledicendi & calumniandi studio alienus non esse videtur: Nam si ea verba quæ Raticium bonum virum appellat, *σὺ γὰρ οὐκ ἔστιν ὡς οὖν*, uti verisimile est, intellecta cupit, eo ipso præjudicium suum de totâ hâc methòdo ob oculos nobis ponit, ut proinde sincerum & candidum judicium ab hoc homine expectare nemo audeat. In judicijs enim, de rebus maximis, minimis pariter, ferendis, abesse debet omne præjudicium, longeq; removeri omnes opiniones præconceptæ.

Ipsa autè Præfationis verba sic sonant: *De methòdo docēdi varij varia tradūt*. De hoc sane homini huic litem movemus nullam. Ut enim aliorum hac de re commentationes brevitate studio, silentio altissimo involvamus; exstant eruditæ admonitiones P. Rami, Frischlini, Wolderi, Hasenmülleri, Crameri, Rhenij, nec non Jesuitarum Janua Linguarū: quibus accedunt noviter tractatus Raticij, & libri Didactici inexhaustæ eruditionis viri beatæ, recordationis Dni. Christophori Helvici, Præceptoris mei meritissimi, præteritis

hisce

NIHIL PROBANS.

hisce nundinis Francofurtensibus in lucē emis-
si: quorum omnium studium maximopere,
laudamus & comēdamus, singuli quippe ad
comūne juventutis bonum aliquid laudabi-
le conferre, anxie studuerunt. Sed unum horum
conatus mire probamus: ita nō possum⁹ non
inquirere quānam potissimū ratio, solertes &
de juventutis rectā institutione curiosos istos
viros impulerit, quod de docendi ratione,
non secus ac de aliā quadam arte liberali,
comēntari praesumerint. Causam affirmo e-
go, fuisse nullam aliam (& affirmo quidē au-
dacter) nisi quod vulgatam & inveteratam
docendi rationem multa & maxima vitia se-
cum trahere, singulari curā, ad unum obser-
vārent omnes, quibus ut medelam aliquam
afferrent de docendi & discēdi ratione, quis-
que suam exposuit sententiam: adeoq; ex tā
diversis diversorum hominum a tractatib⁹ vul-
gatam docendi methodum, multis & maxi-
mis laborare vitijs, constantissimē assevera-
mus.

*Adeo, (porro inquit Autor, varij se. va-
ria tradunt) ut quis vix discernere possit quem
potius sequi debeat. At huic difficultati, absq;*

ullā

MARIUS

ullâ difficultate planam & perspicuam invenimus responsionem, modò ab Auditoribus id obtinere possimus, ut in electionis iudicio, nullum admittatur præjudicium. Facessant igitur opiniones omnes præconceptæ: facessant non contradicendi tantum sed & maledicendi livor & studium: Absit superba ista stoliditas, quâ neminem nostris inventis aut cogitatis meliora unquam excogitare aut invenire potuisse nobismetipsis nimio *Φιλαντίας* studio arroganter & stolidè simul, persuasum habemus. Affectus hec iuxta sapientum Ethicorum monita rationis iugo subjiciantur. Quæ omnia nisi rite fiant, facile tibi mi Mari de Strachindis concesserim, a deo, ex tot præconceptis opinionum plaustris, fluctuantem animum, vix discernere posse, quem sequi aut imitari potius debeat. A deo nimirum pestifera & noxia res est, falsis imbutum opinionibus, aut privatis affectibus, ad dijudicandum res graves accedere. Pestilens hoc virus ingemiscens conqueritur Ecclesia: quæ si à Rationis humanæ præconceptâ admiratione nimia tuta esse queat à Calvinianorum

&

NIHIL PROBANS.

& Neo-Photinianorum dogmatibus horrendis & monstrosis, nullum sibi metuumendum erat periculum: Hæc eadem Judæorum cæcitatem non ita deploraret, si traditionum præconcepta autoritas sub fastuoso Rabbiorum nomine facefferet. Neque video ego quibus modis diabolus per Pontificios Ecclesiæ illudere possit, nisi autoritas summi, si Dijs placet, Pontificis & Conciliorum, oculos & animos multorum hominum fascina-
ret. Adeo nimirum, inquam, pestifera & noxia res est, falsis imbutum opinionibus ad dijudicandum res graves accedere. Electione itaq; & tu mi Mari, ex ratiunculis non frivolis, uti pleræq; apparent tuæ, sed fundamentis solidis, atq; ex naturæ sinu peniq; de promtis, capias. Quod ipsum si feceris, tuam, uti certò scio, mutare cogaris sententiã: nisi hoc, quod tamè maximè ve reor, obstaculo sit, quod nequidè Ratichij rationes ob obductum oculis tuis velamen, percipere integrè solideq; poteris. Addit ulterius: *Et quidem hætenus spes magna multos fovit, fore aliquando, ut in re literaria accuratior methodus proponatur.* Hæc verba Auditores licet primo intuitu ni-

hil

MARIUS

hil mali præ se ferre videantur, extremam tamen Auctoris redolent ingratitude, incredibileq; contradicendi studiū. Anne n. radiorum misericordiae divinae adeo oblitus est Marius noster, ut ante aliquot annos Rati-
chium accuratorem methodum non tantum promississe, sed & æquis rerum æstimatoribus de eadem & firmissimis rationibus, & Experienciâ vel solâ, teste omnium exceptione majore, abunde satisfacisse, in memoriam revocare sibi non potuerit? Anne adeo suspecta, ipsi fides DDn. Professorum in Academiâ Jenensi & Giessenâ, ut ipsorum hæc de re scriptis, ante Sexennium editis, omnem plane fidem derogare ausit? Anne adeo ignarus earum rerum, quæ publicè in Academijs aguntur, & non toti Germaniæ tantum innotescunt, sed & ad alias nationes & regiones devolvuntur, ut hæc methodo Dominum Christophorum Helvicum, Virum incomparabilis eruditionis, & totius Germaniæ nostræ singulare decus, felicissimè usum in docendo nesciat? Non tantum enim Declamationes Hebraicas sed & disputationes in eadem Linguâ, sub ipsius præsi-

dio,

NIHIL PROBANS.

dio, non sine multorum admiratione, & singulari Academiae istius praeter ceteris, ornamento, publicè habitas esse meminimus. Quod v. talis methodus publicis typis edita aut expressa nondum sit, publicis scriptis jamdudum responsum est. Praeterquam enim quod non tam commodè scriptis, quàm vivâ voce docendi hæc ratio aliis tradi & proponi potest, bonorum quoque erat omnium, pro cujuslibet conditione statuque ad hoc tam nobile, tantiq; momenti negotium operam conferre: cum unius aut alterius hominis, unius aut alterius anni labor non sit, tam enormia vulgaris methodi docendi vitia corrigere, & tam Lexica, quàm libellos Grammaticos omnium Linguarum in formam meliorem redigere. Principum hinc erat, urbium, Nobilium, aliorumque Imperij statuum suppeditare sumtus. Doctorum erat conferre laborem & operam. Discipulorum, piâ gratitudine omnia isthac animo imbibere, posteritati que suo tempore refundere. Plebejorum saltem officium erat, si nihil aliud, preces ad Deum fundere. Sed quibus scomatibus, cachinnis maximis, minimis, optimū hunc virū exceperimus,

abun

MARIUS

abundè satis per aliquot annos, declaravit
Experientia. Et ne longius abeam,
vel ex nostro Mario exemplum capere po-
terimus. Tantum enim abest, ut quic-
quam ad hanc docendi rationem conferat,
ut eandem, à seipso tamen, quod jurejuran-
do affirmare ausim, nunquam visam aut co-
gnitam vellicare non desinat, adeoq; ingra-
titudinem suam occultare amplius non pos-
sit. Et hujus vestigijs sat multi insistant alij
quoq; magni nominis viri, unde revera, ut
quod sentio, ex animo proferam, exigua mi-
hi spes relicta est fore aliquando, ut Ecclesie
& Reip. singulari bono & emolumento, opti-
ma hæc instituendi ratio in Scholas introdu-
catur, cum à paucissimis hominibus insigni
hoc Dei beneficium, grato acceptetur ani-
mo, sed potius à maximâ & potissimâ parte
conculcetur pedibus, quinimo irrisioni & lu-
dibrio cæteris sint ij, qui huic Didacticæ, con-
scientiâ adducti subscribunt & assensum præ-
bent.

Ex quo fit, ut, si Raticius & methodi
hujus approbatores radices agere non pos-
sunt, in causa non sit Raticius, & qui eum

sequens

NIHIL PROBANS.

sequuntur, neque felicitati & dexteritati docendi quicquam desit, sed in Marium & similes ingratisimos homines, a quibusmo jure tota transferenda sit culpa, qui methodum hanc neque promovent neque grato suscipiunt animo, & ingratitude suæ hos experientur fructus, ut non tantum hi & liberi ipsorum hujus dexteritatis participes nunquam fiant, sed & rationem gravissimam, justissimo judici de neglectâ & contemptâ puerorum felici informatione, tandem reddere eos oporteat. Non enim adeo leve peccatum est, ut multi arbitrantur, juventutis informationem susque deque habere, & optima quæque à Deo clementissimè in lucem producta media, repudiare.

Denique videmus Autorem hunc ultimis præfationis verbis *ad præxim & Experienciam suam in diversis comprobatam ingenijs provocare*. Sed tantum abest, ut nos eam repudiemus, ut hunc potius candorem hominis maximopere commendemus. Frustra enim nostris

B

pugna-

MARIUS

pugnamus ratiunculis, si Experientia contrarium doceat. Frustra à nobis metipsis ex cogitatis, & ad placitum nostrum inventis innitimur hypothefibus, si Experientia iterum in contrarium abeat. Demus itaque largissimè isthunc virum, felices sæpius diversorum ingeniorum expertum esse successus: Absit enim longissimè ut cuiquam tam absurda adscribatur opinio, qui veteri docendi ratione, præclarum quid, licet tardiusculè effici posse, præfractè neget. Quomodo enim nostra ætas, ubertim tot viros, in omni Disciplinarum & Facultatum genere, solidè eruditos, producere potuisset? Neque hoc ipsum ulli mortalium negaturus est Raticius: At quæstionis hujus cardinem in eo versari rectè asserit: Num compendiosiori viâ ac ratione, juvenus in Linguis & Artibus erudiri queat? Quod ipsum affirmat Raticius, & cum eo omnes qui vulgaris methodi vitia, novæque institutionis vim ac *evseryon* per transennam quasi introspexerunt.

Hic

NIHIL PROBANS

Hic itaque debiti candoris erat ab altera quoque parte Experientiam & praxin non repudiare: neque prius de rebus in cognitum iudicium sibi sumere, quam non tantum rationes solidas firmissimasque probe aliquis pensitaverit, sed & novam institutionem vivis exemplis vel comprobata & certam, vel non sufficientem & imperfectam (uti scripti huius titulus habet) cognoverit. Et si id vel maxime commodam occasione fieri non potuerit, saltem acquiescendum erat in diversis doctissimorum fideque dignissimorum hominum, hac de re in lucem publicam editis testimonijs, uti imprimis scripta Giessensium sub anno 1613. & Jeneasium sub anno 14. non incredulo Lectori satis facere abunde poterant.

Totum hoc negotium non inconvenienter peregrinationi comparabimus. Ponamus n. duos homines uno eodemque tempore ex hac nostrâ urbe Viennam Austriae iter instituere; quorum alter directe petit Witebergam, Dresdâ, & p Bohemiâ

MARIUS

Pragam sese confert, tandem per Moraviam pertingit ad terminos Austriacæ terræ, indeque brevi temporis spacio metram constitutam assequitur: Alter vero vix ignarus per Ducatum Brunsvicensem iter instituit, indeque per Thuringiam petit Hassiam, Franconiam, Bavariam, & Danubium fluvium tandem comitem eligens, eandem quoque assequitur urbem. Sed quis vestrum est, qui diversissimam itinerum horum rationem non videat? Prior enim ille directam ingressus viam, minori tædio, breviori tempore exiguis sumtibus totum potest iter conficere, feliciterque negotium commissum expedire: Cum alter ille, non necessarias petens ambages, gravioribus & pluribus exponatur periculis, multis maximisque subjiciatur molestiis, plures cogatur facere sumtus, tandemque, quod pessimum erat, minus feliciter negotia conficiat, tardiusque patriam reperere & ad suos redire queat. Quâ ratione institutio tum vetus tum nova, cum hâc simi-

litu-

NIHIL PROBANS.

litudine quadret pluribus percensere bre-
vitatē causā, supersedeo. Consultatur
hac de re discursus Jenensium *Pagin. 25.*
& seqq.

Jam demum Mari ad propositiones
Ratichianas Didacticas accedendum e-
rit, eaq; quantum per brevitatē tempo-
ris fieri potest, enodandæ & confirman-
dæ, nec non à tuis impugnationibus vin-
dicandæ. Propositionem primam po-
nis hanc: Quantum ad studium Latinæ
Linguæ, putat Ratichius certum aliquem
autorem ad manū sumendum eumq; vol-
vendum & revolvendum, ut ex eo Lingua
Latina addiscatur (E.g. Terentium) sic
ut Grammaticè resolvatur. Hanc ex Ra-
chij generali introductione in methodū
Linguarum p. 143. edit. Lipsensis Rhe-
nianæ desumptam esse patet. Sed cur ra-
tiones Ratichianas, quas eod. tract. p. 150.
adducit, & tu quoq; non subjunxisti? An-
ne enim perpetuus & constantissimus na-
turæ ordo is est, ut ex particularium in-
ductione colligatur universalis maxima?

B 3

Hac

MARIUS

Hæc verò singularium collectio longè
felicius ex autore, quàm ullo libello
Grammatico deducitur. Imò ut Ra-
richius ait citato l. Tempus longè melius
collocatur in ijs ad linguam aliquam de-
clarandam necessarijs rebus, quas puer
non tantùm memoriâ comprehendit, sed
etiam intelligit; quam in ijs, quas tantum-
modo memoriæ mandat magno cum
labore & molestia, & tamen nondum in-
telligit. Nam alias & tempus perdimus
& ipsum nature ordinem invertimus. De-
inde, anne & facilius est, Artem quan-
dam in certâ quadam materiâ visibili
monstrare & docere, quàm si generales
conceptus Metaphysicos in aëre quasi ef-
fingere cogatur discipulus? At quid aliud
sunt præcepta illa & *νοήματα* generalia,
quàm conceptus mentales quorum fun-
damentum in re ipsa an monstratur tyro-
nibus nec ne, hoc ego loco & tempore non
disceptabo. Naturæ alias ordo is est, ut
in imprimendis animo rerum speciebus,
primò intellectui offerat Ens reale extra

men-

NIHIL PROBANS.

mentem actualiter existens: quemadmodum ex aspectu equi (ut rudi res declaratur exemplo) statim mens nostra concipit ideam equi. Necessarium itaque ut res primum offeratur concipienda, ex cuius deinde aspectu & contemplatione rei idea & forma concipitur. Exempla itaque ante regulas Grammaticales, juxta hoc naturæ principium, discipulis erant proponenda & inculcanda, ut ex eorum multiplici contemplatione tandem ideam generalem, h. e. regulam Grammaticam, sibi metipsis effingere & efformare queant. Sanè absurdum admodum Geometra futurus esset, si de angulo acuto, obtuso, de circulo, pyramide, &c. multum verborum faceret, tyroni tamen in visibili aliqua materia, aut in tabula horum omnium formam, ductum, obliquitatem, rotunditatem, ejusque rationem, perpetuam nimirum à centro distantiam non ostenderet. Cum hæc Raticii sententia consentit Clarissimus Helveticus in delineatione Didacticæ generalis

B 4

præ-

MARIUS

præcepto 6. quando ait: Ne modò rei tractetur ante rem. Unde sequentia hæc tria deducit consecratoria. Ne videlicet 1. præcepta ante autorem seu materiam tractentur. 2. Nulla lingua docetur ex Grammatica, sed ex uno aliquo autore, eoque bono. 3. Præcepta non tam dirigunt quàm confirmant.

Cujus consecrarij sensus est, post tot ac tam multa ex Autoribus deducta & monstrata exempla, tandem generalem regulam adjiciendam esse, ut ex eâ discipulus confirmetur, similia exempla omnia, eandem naturam veritatemq; obtinere. Objectio illa vulgatissima de exemplis, regulis suis subjectis, nimis puerilis est, & ad eandem sufficienter satis respondit Raticius l. d. nec libet omnia illa hoc loco retexere.

Ex Propositionis hujus confirmatione (quam non sine causâ omisisse videtur hic Marius, quisquis tandem ille sit) ipsius antithesis, adductæque pro opinione suâ rationes facilè corruent. Cum itaq;

in

NIHIL PROBANS.

in antithesi dicat : *Ego illud praposterum esse puto* : expressè statuit ab autore initium nequaquam esse faciendum. *Theoria enim & cognitio alicujus rei inquit, semper precedere debet exercitium & praxin ejusdem.* Sed audivistis Auditores optimi cordatique hanc cognitionem aliud nihil esse, quàm ideas in liberrimo aëre (pene dixerim vacuo) excogitatas absque præexistente intellectuque actualiter oblato fundamento. Et mirari fatis non possum, cur tantopere theoriam & cognitionem præceptorum, in Linguis præsertim, ante Autorem crepent, quasi ulla aliqua Lingua dari possit, cujus & acquisitio acquisitæque cognitio extra usum & praxin consistat. Sanè & eæ disciplinæ Philosophicæ quæ merè Theoreticæ Philosophis dicuntur (cum ex earum cognitione simile quoddam monumentum exstruere non sit virium humanarum) non nisi forinsecus assumptà praxi rectè addiscuntur : uti vel satis planum & perspicuum omnibus esse credo,

MARIUS

ex circuloꝝ coelestium contemplatio-
ne veluti de horizonte, recto,
obliquo parallelo, de Meridiano, de
Æquatore, de Eclipticâ, de Tropiciſ de
αειφανεργίς & αειρύντοις, quos omnes unâ
cum motu eorundem, cum obtutum &
aspectum oculorum noſtrorum longiſſi-
mè effugiant, materialibus & mechanicâ
arte efformatis circulis, adumbrare neces-
ſe eſt: ut proinde ineptiſſimum videatur
theoriam quandam, ſepoſitâ ad tempus
bene longum praxi in ijs exquirere rebus,
quæ totæ in praxi & exercitatione confi-
ſtunt, ex eadem ſolâ deductæ ſunt, & non
niſi hiſ concediſ & adhibitiſ medijs, re-
ctè percipiuntur. Secunda ratio plane in-
vertenda eſt, Multa enim hîc de memoriâ
gloriatur, quod conferat ad iudicium in-
tellectumq; rerum. Contrarium n. verius
eſſe nemo non videt. Nullorum n. niſi in-
tellectorum iudicium eſt; nullorû niſi in-
tellectorum prompta & ſpontanea me-
moriam. Quomodo fanè memoria illa co-
actiſſima præceptorum Grammaticorum

NIHIL PROBANS.

non intellectorum (uti revera à tyronib⁹
Artis huj⁹ non intelliguntur) ad judicium
quicquam facere possit, videre aut conji-
cere non possum ego. Tertia ratio aliud
nihil innuit, nisi virum hunc Didacticæ
huj⁹ rationem nequaquam intelligere aut
cognovisse. Quod n. ille pro obstaculo
ponit, multa nimirum in Autoribus oc-
currere difficilia, multa mixta & compo-
sita, cum à facilioribus & simplicioribus
progrediendum sit: Scire debebat non i-
ta comparatam esse hanc methodum, ut
facilia difficilibus, simplicia mixtis indif-
ferenter permisceat.

Multo n. accuratius progreditur & fa-
cilia simplicioraq; primo pertractat lo-
co, difficiliora secundo, & difficilima ter-
tio atq; ita deinceps; proindeq; ad captū
auditorum & discipulorum ita omnia ac-
commodat, ut facilimè ab omnibus per-
cipi & imbibiri queant.

Quarta ratio nullius itidem est valo-
ris, præterquam enim quod falsam fo-
vet hypothesein, quasi omnibus omnino
sepositis præceptis solus hic spectetur
usus

MARIUS

usus; cum tamen contrarium ipse nō-
lens volens in proposit. Ratichij didacti-
cā posuerit ijs verbis: Sic ut Grammaticē
resolvatur: quorum sanē verborum hunc
hominem aut oblitum fuisse aut quid Ra-
tichius ijs innuere voluerit, planē non in-
tellexisse omnino necesse est: ipsius quo-
que consequentia nulla est, quasi hāc do-
cendi ratione usu cessante omnia tum
cessent; Veteri verò institutionis modo,
cessante usu, remaneant fundamenta be-
ne iacta, quorum ope & adminiculo u-
nusquisq; per se postea sine magnā dif-
ficultate linguam repetere, & proprio
Marte pleraq; in memoriam revocare
possit. Quasi verò habitus iste tot ac tam
varijs acquisitus actionibus statim amit-
tatur? Et quasi contrarium verius potius
esse quis suo non possit comprobare e-
xemplo; Dum in linguā aliquā & scriben-
do & loquendo exercitatus præcepto-
rum facile obliviscitur, remanente nihil-
omin⁹ genuino veroq; loquēdi usu. Cer-
te non erat viri candidi & cordati, contra

pro-

NIHIL PROBANS.

propriam quicquam statuere experientiam. Et ridere cogor miserrimam illam repetitionem, quæ hic proprio Marte infirvenda constringitur. Quotos enim novimus homines, qui in juventute aliquoties Grammaticos libros edidicerunt, & eam nausæa adeo macerati sunt iisdem, ut singulas Orationis partes (uti vocant) ad verbum recitare coacti sint; Sed in adultiori ætate licet quantovis pretio comparare sibi velint, non intelligunt periodum Latinam, multò minùs usu loquendi gaudere possunt. Quos si de causâ interrogas omnem culpam devolvunt in Grammaticam & id rectè quidem, si præceptores, uti nimis solenne est multis, solis præceptis adeo carnificent ingenia discipulorum.

Quintam quod attinet rationem, ita intricatum autor sese exhibet, ut sanè Oedipo divinatore hic opus sit. Neq; enim ego qui Davi in hoc personam libenter sustinebo, videre valeo, quomodo hæc ratio aut infringat thesin Raticij aut

pro-

MARIUS

probet opinionem Marij de Strachindis
Libentissimè namq; concedemus, & eri-
mus in hoc plus quàm par erat, liberales,
principia sua præcedere principiata. Vo-
cabula item principia esse & materiam ex
quâ integra conficiatur oratio. At quid ex
hisce contra Ratichianam docendi me-
thodum colligi aut concludi queat, colli-
gere non possum, qui in eâ certus sum ien-
tentia, constanter & solide ex hisce prin-
cipijs Ratichium pro sese argumentari
posse. Certe profecto ridiculus sit, qui vo-
cabula addiscenda & Autores seponen-
dos mihi persuadere velit. Seponam^{us} e.g.
in Lingua L. Autores, quotquot Latine
scripserunt omnes, & libenter quæsierim
ex hoc scriptore aut alio scripti hujus, de-
fensore, unde vocabula Linguae hujus de
quâ loquimur, Latinae desumere velit?
Neq; enim suspicari possum, hos homi-
nes ad Dasypodium Decimatorem, Cas-
lepinum, vel Onamasticon Golij aut
Frischlini, Gemmam gemmarum Siberi
recurrere posse: quandoquidem optimi
hi viri, & de rep. nostrâ literiâ meritisimi,
ex

NIHIL PROBANS.

ex Linguae Latinae Scriptoribus hinc inde magnis laboribus & vigilijs libros suos collegerunt; & in certum ordinem (sive is Alphabeticus, sive in certa certarum rerum capita distinctus sit) redegerunt; proindeq; in aprico est positum neminiq; vestrum obscurum aut dubium amplius esse potest, Autores ejusmodi Latinos probatos, nostra jam esse Linguae hujus principia, reliqua verò omnia ex iisdem mu-
euo desumpta, principiata. Et quanquam ratio hæc, alio quoque modo, uti probe novi, explicari & intelligi queat, ex abundanti tamen hoc addo, eum modum ad discendi Linguas per Vocabularia, Onomastica, &c. omnium mortalium experientiam quotidianam, quam tamen adeo temere ipsimet in dubium vocamus, improbari. Quis enim mortalium datur, qui ex vocabulis separatis sepositam praxi & vocum conjunctione, suam addiscat Linguam vernaculam? Aut profecto nimis imperiti (ut levissimè dicam) mortales sumus omnes, qui infantibus nostris

quam-

MARIUS

quamprimum vel fari incipiunt, non nuda & sola proponimus vocabula, sed potius integro sensu, cum iisdem suaviter ludentes, eos alloquimur. Difficultas illa, quam Marius inter spergit de vocum significatione propria & modificata, eâ interpretatione, quæ non ad sensum, sed ad verba singula & seorsâ astringitur, omnino tollitur. Quâ de re legi potest Ratic. l. d. p. 146. & clariss. Helvicus in delineatione applicationis in Linguâ Lat. libr. Didact. p. 6.

Hæ sunt rationes illæ, quibus Raticianam illam propositionem (quæ puerum aut quemvis alium quamprimum legere didicit, ad certum ablegat autorem) labe factare conatus est. At fanè contra speciosum scripti hujus titulum parum sese explicasse aut probasse primo statim in limine ostendit, ut proinde facilius & dexterius de cæteris futurum sit judicium. In objectionum enim solutione, eundem, qualem in rationibus præstiterat, minùs videlicet probantem, aut solventem

sese

NIHIL PROBANS.

fese exhibet. Perlegant quæso, auditores verba ipsius, pro solutione primæ objectionis allata (*Usum nimirum tum valeere, modumq; docendi per usum tum procedere, quando quis in promptu habeat, quæ exerceat*) & manifestissimè deprehendent, hanc solutionem adco parum pro scriptore hoc militare, ut nihil ferè inveni-nerim, quod fortiùs in eundè retorqueri queat. Nonne enim in continuo Auctoris textu magno numero vocabula sese offerunt, in quibus praxis Grammatica ostendatur? Aut quomodo Grammaticam, quisquam mortalium hominem docebit, nisi sint in promptu voces (quæ uti supra ostensum ex solis autoribus desumuntur) in quibus terminationum variatio, aliaq; accidentia exercentur?

In objectionis secundæ solutione, quanquam multa adduci poterant, sufficiat tamen hanc distinctionem labefactasse quâ inter infantem, eumq; qui alienius judicij esse cepit, distinguit, conceditq; infantem, linguam vernaculam solo usu

C

addi-

MARIUS

addiscere posse, in adultiori verò & alijs
Linguis requiri præcepta. Quid enim
discriminis intererit, si Præceptor ita
doceat, ut huic vernacula quasi videatur
quem discipulum eodem ferè modo ac si
maternam addisceret linguam ex usu (h.
e. autore,) & præceptis simul, (ex autore
deductis) assequi oportet? Et quæ causa,
quod infans vernaculam linguam intra
biennium aut triennium ad summum sa-
tis feliciter ex usu addiscat, cum in eo, qui
jam alicujus judicij esse coepit, bene mul-
ti consumantur anni, antequam ad exi-
guam Linguae saltem Latinae cognitio-
nem perducì possit? quam tamen si non
secus ac Germanicam exerceas, puer octo
vel novem annorum imbibere potest, cu-
jusmodi exemplum de filiolo, Clarissimi
cujusdam viri Professoris Academici in
recenti memoria est.

Altera distinctio *inter res presentes
& absentes* nimis frivola est, & parum
huc facit. Si enim res infantia (uti
Marius asserit) semper intuemur &

cognoy

NIHIL PROBANS.

cognoscimus, quid obstabit, quò minus in adultâ ætate cognitæ nobis maneat? ubi proinde simplex tantum labor requiritur, impositio nimirum nominum in alijs linguis, cum in infantiâ labor iste fuerit duplex cognitio nimirum rei, & impositio nominis. Sic tyro Linguae Latinæ, non format sibi aliam ideam equi, quàm qualem in pueritiâ addidit neque in Lingua Græcâ, nec in Lingua Hebraicâ iterum aliam, si vocem Equus, ἵππος, aut עָוֶד audiat & addiscat. Sint itaque adultis res absentes, at inde de reb. ipsis conceptæ & in juventute imbibitæ, non possunt non esse animo præsentissimæ. Adeoque quo ad hanc partem, linguas alias, felicitatem majorem, quàm vernaculam, obtinere deprehendimus.

De proprijs & modificatis vocibus necessum non est, ut cum hoc homine multum litigemus. Eam enim difficultatem suprâ ex distinctis interpretationibus, superavimus.

MARIUS

Objectionem quartam, ceruum est neminem methodi hujus peritum allegare. Non enim à difficilioribus, sed à facilioribus tota hæc progreditur methodus, quod vel ex eo patet, quandoquidem hîc ab exemplis, progressus fit ad regulas ipsas, qui docendi modus, quin felicior faciliorque sit, nemo saniorum mihi unquam negabit. Sed hîc auditores à fervore auscultandi vestro quiescite & mecum paulisper respirate.

Jam videamus iterum, quid roboris vel infirmitatis secum latura sit, propositio secunda. In hâc dicit Raticium *Statuere Grammaticam obiter ferè discendam.* Sed apertè hîc autor crimen falsi committit. Debebat enim Raticij verba non mutila, sed integra, non ficto & falso, sed vero & genuino sensu allegare & adducere. Primo namq; institutionis tempore omnes Grammaticorum difficultates incipientibus proponendas minimè esse, constanter & rectè asserit. Quinimo obiter Grammaticam

adde-

NIHIL PROBANS.

addiscere hoc loco Ratichio aliud nihil est, quàm sub finem firmationis & expeditionis lectionis in transcurso quasi vocabulorum naturam & accidentia excutere, ut confusa quædam hoc modo & generalis notitia animo discantis inferatur. Sequenti enim tempore accuratius Etymologia Grammatica explicari debet, uti expressè habent verba Ratichij pagina 149. Præterea in hac docendi ratione eo modo Grammaticam obiter tractare docereque dicimur, quando videlicet, sub interpretatione textus, dum id minimè agere videmur, ut Grammaticalia inculcemus, omnium tamen maximè & unicè in idipsum incumbim⁹, ut ex tam varijs ac multis ex autore copiosè deductis exemplis, novæ proponantur regulæ, & auditoribus firmiter inculcentur. Cum itaque Ratichij mentem aut non intellexerit, aut Sophisticè invertere studuerit hic homo, similem eum reputabimus puerulis, qui colludentes magno studio, & anxio conatu ligneas exstruunt turres,

MARIUS

deinde in easdem impetu quodam irruunt & constructas à semetipsis demoliuntur. Ad consimilem enim plane modum, cum proprijs hic homo pugnat larvis ac proinde necessarium omnino non est, ut quis in refellendis rationibus adductis, operosior esse velit. *Ratio* siquidem *prima* & *secunda*, nobiscum non pugnant. Nemo enim Didacticæ hujus assertor præceptorum usum unquam negavit. Quinimo multo accuratius & solidius ab hisce inculcantur præcepta, quàm ab alijs fieri poterit. Sed de modo imprimis controversitur: Num præcepta ex autoribus deducenda an in præviâ quadam, quam sibi fingunt, teoriâ, discipulum informare debeant, secundum quam deinceps totum autorem æstimet, & censuræ suæ subjiciat? Ubi miseram illam teoriâ ridere cogimur, in quâ si tyrones per quadriennium, quinquennium vel ultra laborarunt & deinceps applicatio in autore requiritur, magis deprehenduntur muti quam pisces.

Quod

NIHIL PROBANS.

Quod ipsum nemo negabit, qui candidè de reipsâ judicare voluerit. Quamquam secundo loco non simpliciter concesserim, præcepta esse fundamenta linguarum. Linguas existimo ego, fundamenta esse præceptorum. Non enim ulli dari poterit alicujus Linguae Grammatica, antequam Lingua ipsa in usu fuerit; unde demum periti istius Linguae ex singulariû observatione præcepta colligunt, alijsque præscribunt, quo facilius metam propositam assequantur. Aliàs enim omnium LL. eadem forent præcepta, ex naturæ principijs cognita aut deducta, cum tamen Linguarum & difficultas & decus aliud sit nullum, quam cujuslibet linguae nosse idiotissimos, tam in separatis, quam conjunctis vocibus. Optimè igitur illi agunt, qui, quasi nullus liber Grammaticus exstaret, ex autore discentis cerebro novam Grammaticam inscribere satagunt, ut idem sit modus conscribendorum libellorum Grammaticorum, & idem sit modus

MARIUS

docendi linguas, Sed sapienti plus
facis.

Ad rationem tertiam illud adjicio, ni-
hil sine evidēti ratione, & de quā ad ocu-
lum per experientiam nimirum constite-
rit, mutasse Raticium. Unde non
simpliciter ea, quæ hactenus longo in-
oleverunt usu, rejecit, sed quæ simul fir-
mā nituntur ratione. Unde memini
Symbolum viro huic solenne esse illud:
Cedat vetustas vincat ratio. Quæ verba
& mihi ante aliquot annos peregrinan-
ti, & de ipsius methodo percontanti, Au-
gustæ Vindellicorum in albo amicorum,
conscripta reliquit.

Objectionum 1. 2. & 3. solutiones
quod attinet, ita comparatæ sunt ut tæde-
at tempus & operam in ijs refellen dis, per-
dere. Ex dictis enim discretus auditor
quam parum ad solutionem faciant, faci-
le deprehendet.

In objectionis quartæ solutione, no-
tetur contradictio, quā rationi suprā al-
latæ aperissime contradicit. Hoc loco n.

memo-

NIHIL PROBANS.

memoriam rerum ex intellectu earundem dependere, recte asserit, sed priori loco ordine inverso, ex memoria rerum, earundem intellectum deducere voluit. Deinde iterum miror nullius usus, nullius fundamenti theoriam in Grammaticam absq; praxi, & harum in linguis violentissimam divulsionem. In linguarum enim tractatione haec hypothesis falsissima est. Ita enim hic theoria & praxis conjungi debent, ut nullam horam ab invicem separentur, sed theoria ex praxeos certitudine deducatur.

Sed ne prolixiores simus, & eò celerius ad metam propositam pertingamus, jam recta nos conferemus ad Didacticam propositionem Raticij tertiam, in qua statuit Grammaticam Latinam in Lingua proponendam esse vernacula, nimirum apud nostrarum regionum homines in Germanica. Nam alias plane indifferens est, ad quamcunque linguam, alterius Linguae Grammaticam allegare, modò ea discenti praesupponatur esse co-



MARIUS

gnita. Contrarium defendit Marius ille de Strachindis, Latinae nimirum linguae praecepta, in Lingua Latina proponenda esse. Ratichius propositionem hanc ponit pagina 140. cum quo consentit Helvicus in Didacticis praeceptis generalibus, praecept. 4. quando nimirum hoc fundamento utitur: **QUOD OMNIA PER NOTIORA DOCENDA SINT.** Unde haec sponte fluunt *περίορατα*, Quod nulla lingua ex Grammatica ejusdem linguae, docenda, si ignota sit. Et deinde, quod omnia primum in lingua vernacula, & postea in Linguis alijs proponenda fiat. Quod unicum Helvici fundamentum ad probandam tertiam hanc propositionem sufficiens esse poterit.

Quod verò *rationes Marj* attinet, quibus contrarium astruere satagit adeo pueriles sunt ut responsionem vix mereantur. Anne enim ita rectè concluditur: Quaecunq; in primâ pueritiâ addiscimus, tenacius adhærent E. Lingua

La

NIHIL PROBANS.

Latina ex Grammatica Latina addiscenda est? Argumentum absque capite, ventre & pedibus. Quasi verò tenaciter in hæreant animo, quæ per coactionem memoriæ imprimuntur, uti revera fit in Grammaticæ Latinæ præceptis priusquam discipulus aliqualem linguæ hujus affecutus est cognitionem.

Secunda ratio (ut terminis utamur Logicis) merum petit principiū. De eo n. adhuc controversatur, an rectè Latina nondum intellecta pueris proponenda sint, ut proinde Oratio Dominica, & tota Catechesis hoc loco perperam adducatur.

Ratione tertia ea sejungit, quæ per naturam in docendo & discendo separari non debent. Requirit n. à discipulis tantummodo verba quoad sonum, non v. res verbis contentas, & intellectum verborum eò differt, usq; dum ferè enervatum est discipulis ingenium quando nimirum multo & plus quam asinino labore verba & præcepta non intellecta memoriæ imprescit. Et profecto quotiescunque

hæc

MARIUS

hæc mecum altiùs perpendo mirari vix
satis possum, quoniam modo tenerrima
ista ingenia, tam asininos sufferre possint
labores.

Quarta ratio egregie scilicet con-
cludit, ut, Quia (ut vulgatisimo dicitur
versu) *Lectio lecta placet, decies repetita
placebit*; Grammaticam licet non intel-
lectam multoties legendam repetendam,
proponendam, ediscendam, resumen-
dam & retractandam esse, affirmare non
dubitet. At quis vestrum adeo hebetis
ingenij est, qui in Grammaticâ toties pro-
ponendâ, legendâ, repetendâ, ediscen-
dâ & resumendâ optimam annorum pu-
eriliû partem inutiliter effluere non sentiat?
parentes inutiles sumt. facere, mediocria
ingenia plane confundi, optimaq; miserû
hebetari nō deprehendat? Unde pene di-
xerim Grammaticam vulgari modo pro-
positam, esse tormentum exquisitissimum
ingeniorum optimorum, mortem verò
certissimam mediocrium; adeoque uni-
cum illud obstaculum & impedimentum,
quod in causa est, quò minus faciliori la-
bore

NIHIL PROBANS

bore & molestiâ, ad aliqualem linguæ aliæ
cujus cognitionem perveniamus.

*Ratione quintâ & ultimâ, pro auto-
ritate dictatoriâ axiomata sibi fingit, a-
lijsque, violenter obtrudere satagit, quæ
à sanioris judicij hominibus concedi
nunquam possunt. Quis enim ferret i-
ta concludentem:*

*Si in vita communi multa par-
ticularia discuntur & observantur,
quorum rationem & origi-
nem quis reddere nequit: ad con-
similem modum in docenda linguâ
Latinâ Grammatica incipientibus
proponenda est Latina. Sed in
vita communi &c. Ergo*

Digna sanè argumentatio tam vi-
tiosæ methodi vitioso defensore. Nam
quæ causa, quod hâc utamur ingenio-
rum carnificina in tenerrimis istis inge-
nijs, quæ ab ubere materno statim in ad-
discenda Linguâ Latina excerentur,
cùm tamen vitiosissimam hanc docendâ

ratio-

MARIUS

rationem in linguâ Græcâ & Hebraicâ proponendâ ultro repudiemus? Nam si quid roboris habent rationes Marij allatæ, in Græcâ Linguâ quoque, conscribenda & discipulis proponenda erit Grammatica merè Græca; in Hebraicâ purè Hebraica; Chaldaicâ Chaldaica; Syriacâ Syriaca; Arabicâ Arabica, atque ita deinceps. At quis adeo absurdus, aut nullius plane iudicij homo dari poterit, qui hac ratione summam difficultatem incredibilesque molestias futuras non videat? Aut igitur vitiosè docentur hæ linguæ enumeratæ omnes, aut vitiosè docetur lingua Latina. Electio sit penes Marium nostrum.

Objectiones solidè propositarum *solutiones* omnes ita comparatæ sunt, ut ex dictis & allatis in nihilum redigi facillimè queant: Adeo nimirum firmiter hoc naturæ principium urgeri debet, à notioribus ad ignotiora progrediendum, neque ignotum per æquè ignotum docendum esse. Ex quo fundamento *Obiectio pri-*

NIHIL PROBANS.

ma, defuncta est, atque ita comparata, ut à Mario solvi aut infringi nunquam possit. In solutione enim ultro largitur uno eodemq; respectu, unum idemque docere & disci non posse: at hoc nihil obstante fieri posse ut postmodum in accommodatione præcepta illa nos informant, &c.

At quæ hodie doceri & intelligi possunt, quo jure, aut quâ conscientia docens differet non in crastinum saltem diem, sed vel in tertium aut quartum sequentem rejiciet annum? Et cur non concedimus, ut in præsentis præceptorum applicationem videat discipulus, quam (uti loquitur Marius) paulo post visurus est? Nonne enim paulo post informationem præceptorum, absque vivâ praxi, eorundem obliviscitur? Et hanc docendi rationem, cum natura ipsa proximè convenire.

Credat Judæus apella

Non ego.

At

MARIUS

Ad secundam objectionem, itidem nihil solidi affert. Non enim per accidens sed per se fit, quod nobilia saepe ingenia desperent de studijs, quae quando magnam difficultate ad studia adiguntur, dum nihil eorum intelligunt, quod ipsis memoriter ediscendum proponitur. Nam quod hic de medio garris, verba sunt, & nihil subest soliditatis. Nihil enim haecenus crepavit aliud, quam theoriam ante praxin, memoriam ante intellectum, principia (praecipua videlicet) ante principia; fundamentum (Grammaticam) ante fundamentatum & studium Theoricum à Practico ita distinxit, ut neminem dari posse putet, qui utramque semel & simul persequi possit. Unde theoriam semper praerequirat, ex hypothesebus praconceptis, quarum si queras objectum in re ipsa, aliud dari poterit nullum, quam quale Pontificij haecenus monstrarunt de purgatorio. Legant queso Auditores, intricatam illam responsionem pro solutione objectionis huius allatam, & aliud deprehendent ni-

hil,

NIHIL PROBANS.

hil, quàm meras contradictiones. Nam 1. concedit, *auditores non esse detinendos nimium, in ignoto alicujus lingua curriculum.* 2. requirit nihilominus, *ut quis ab initio sustineat labores* (intellige in ediscendis illis præceptis ignotis) & huc malè accomodat Horatij versiculū, & veterū dicterium, quo virtutis radices amaras, fructus verò dulces dixerunt. At profecto non fidelis, sed invidiosi præceptoris vox est, quæ *ab initio labores* tantopere urget, & discipulum absq; bene multis exantlatis laboribus ad frugem pervenire non permittit. Deinde, nimis impropriè dictum de virtutis radicibus amaris huc trahitur. Et si id de institutione intellectum cupit, cur ad solam Grammaticam, & ad linguam Latinam astringitur? Superfunt enim post hanc linguam aliæ quoque, uti Græca, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, partim Philosophis, partim Medicis partim Theologis summè necessaria, ut de toto Philosophiæ circulo, & reliquis Facultatibus superioribus nihil di-

D

erit

MARIUS

camus: Ita ut virtutis hoc est, solidæ
eruditionis radices satis fiant discipulis
amaræ, & metuendum omnino non sit,
ne nimis cito optatam metam cursu con-
tingant. 3. Moderationem tamen adhiben-
dam esse statuit, ne diutius, quam par sit, di-
scipulis detineantur. Sed moderatio diffi-
cilimè quamdiu veteri oberratur chorda,
adhiberi poterit. Nam antequam ad pra-
xin accedatur, oportet theoriam illam,
quam tantopere urgent, probè esse cogi-
tari, proindeq; totius Grammatices
præcepta inculcanda: quæ si ad calcem
deducta sint, priora jam dudum memoriæ
exciderunt, uti conqueruntur & fateri co-
guntur omnes candidi. 4. Per mensem u-
num alterum iterum in theoria detinet. Sed
præterquam quod tam cito theoria illa
vix possit absolvi; novum quoq; hoc est,
& ex hac docendi ratione desumptum, si
præcepta ad praxin statim applicentur. 5.
Et cum deniq; usum eorumque jam didi-
cerunt, quasi per transeunam, monstrat.
Nihil credit ad ingenium: Non enim per

tr an-

NIHIL PROBANS.

transennam, sed accuratissimè usus
præceptorum monstrandus & inculcan-
dus est. Nota igitur hoc loco, nonpos-
se hos homines, qui theoriam præviam
ex oraculo quasi Delphico sibi commen-
datam, putant, juventutem rectè infor-
mare, nisi hanc falsissimam in docen-
dis Linguis hypothese[m] plane abnegent
& abjiciant. Egregiam itaque deduc-
tionem agnoscite & egregium, si Dijs
placet, docendi modum, quo inge-
nia præceptis satis diu macerantur & tor-
quentur, *quorum tamen usus intero-
dum per transennam monstratur.* Ha-
beat sibi Marius & quicumque cum eo fa-
ciunt hanc per transennam quasi docen-
di rationem; interim eorum mihi proba-
tur studium, qui remotis istis transennis,
rectâ ingredientes viâ fidei suæ commis-
sos, quò tendunt, rectâ absq; ambagibus
ducunt.

Dasypodij laborè, cuius hîc mentionē
facit, quod attinet, ille summopere à bo-
nis & rectè sentientibus omnibus comen-

MARIUS

datum: Utinam alij quoque vestigijs hujus insistentes Lexicon tale Latinum omnibus numeris absolutum nobis darent, tum multo facilius in docendo progredi poterimus. Si igitur hujus laboris nulla propemodum habita est ratio, de eo rationem reddant ij, qui egregium hunc laborem contemnere non dubitarunt.

Nihil enim mirum si is eandem sortem expertus est, & idem praemium laboris tulit, quod mundus benefactoribus suis dare consuevit. Sed quid haec ad Rarichium, ejusque docendi methodum?

Objectionem tandem ultimam, adducit mutilam, allegando causam quae sola ad hunc modum nunquam adducitur. Illa enim ratio est, cur in Lingua vernacula proponenda sit Grammatica Latina, ut nimirum statim ab auditoribus intelligatur, laboreque asinino, & discipulis taediosissimo, quo nova praecceptorum interpretatio requiritur, ma-

gno

NIHIL PROBANS.

gno compendio, maximoque juventutis emolumento superseatur. Quamquam secundo loco negari non potest, fieri non posse, quin magis magisque quotidiano isto usu excolatur quoque lingua vernacula. Igitur sæpius cum semetipso pugnat Marius, ut fingendo plane novas objectiones, aut mutilatè allegando ab alijs integrè & solidè formatas.

Propositionem quartam, opus non est operosè retexere: Falsâ enim innitur hypothesis. Nam quando Didactici isti scriptores, de Grammaticâ quadam generali loquuntur, non id ita intellectum volunt, prout hic tamen ita ruditer accipit, quasi generalis ista Grammatica, addiscendis omnibus linguis sufficere queat. Sed generalem quandam Grammaticam ita adorandam esse statuunt, ad cuius normam cæteri omnes libelli Grammatici conformentur. Et hoc optimè fieri posse, & evincit ratio, & ipsa praxis ad oculum demonstrat. Ex

MARIUS

ratione jam dudum ad hunc modum eruditè satis argumentati sunt Rabbinii Judæi; (uti R. Jonáh in Richmah & R. David in Michól.) Omnis lingua, inquiunt tres habet principales partes, nempe **שם** Nomē: **פעל** Verbū: **מלת הטיע** Dictionem rationis, seu rationalem, & per hanc posteriorem partem denotant omnes Orationis partes, quæ apud nos sunt indeclinabiles. Hanc quoque partem plerique **כלי** sive instrumenta appellant, hoc est, colligationes quasdam inter substantiam & accidens, seu inter nomen & Verbum. Nomen n. significat per modum substantiæ, verbum verò per modum accidentis. Ulterius iidem ita argumentantur: Quemadmodū mundus dividitur in creaturas penitus spirituales, semper manentes, nulli vel motui vel alterationi abnoxias, ut angelos, de quibus dicitur Ps. 104. v. 4. & creaturas corporales quæ moventur in loco ut coeli, ut sphæræ: & in creaturas quæ generationi, corruptioni, alterationi, motuique subjiciuntur:

Ad

NIHIL PROBANS.

Ad eundem modum & Lingua dividitur in Nomen quod significat per modum substantiæ per se & stantis & permanentis : Et in verbum quod significat cum tempore, quod est mensura motus : Et in Millath hattâam, quod est colligatio nominis & verbi, quæ non permanet. Vide de hisce differentem Pagninum instit. Hebr. L. 1. c. 2. per totum. Iisdem ferè rationibus utitur subtilissimus & acutissimus ille Philosophus Julius Cæsar Scaliger in Lib. de C. L. L. c. 72. dum species Orationis hæc ratione investigandas censet : Si dictio, inquit rerum nota est, pro rerum speciebus partes quoque suas sortietur. Videamus ergo in magna Autorum controversia quot quæve sint. Quod Græci ὄν vocant (apud nos usitato potius quàm latino, caret nomine) id partim significat res permanentes, ut equum, decempedam, quarum natura postquam perfecta est, diu perstat : Partim fluentes,

MARIUS

quarum natura est, esse tam diu, quam diu
fiunt; ubi verò sunt absolutæ, non sunt
amplius. In hac partitione tota vis ora-
tionis nostræ consistit: Complectitur enim
etiam DEUM; nam postquam perfectus est,
diu est: hoc autem diu sine caren-
tia Constantium igitur rerum notam, No-
men dixere: Eorum verò quæ fluunt,
verbum. Hæc verba Scaligeri, qui licet
octonarium numerum partium Oratio-
nis probet, in eo tamen cum Rabbinis
nequaquam pugnat: Hi enim principa-
les tantum, ut habent ipsorum verba,
partes enumerant: Iste verò minus prin-
cipales quoque percenset. Et hæc divi-
sio partium Orationis locum facillimè
obtinere in alijs Linguis, uti praxis Helvi-
ciana in nuperrimè editis libris Didac-
ticis insigni compendio demonstrat. Sic
& omnis Grammatica dividi potest in 3.
partes, Elementariam nimirum, dignotivam
& constructivam Elementaria pars absolvi-
tur literis, quæ vel vocales vel consonan-
tes; & syllabis & de earum collectione. Di-

gnotiva

NIHIL PROBANS.

gnotiva pars complectitur vocum communia accidentia & species. Communia accidentia tria sunt, uti Variatio, Originatio, Resolutio. Vocum species, uti probavimus tres sunt, Nomen, Verbum & Advocabulum. Priores duæ sunt, primariæ, quarum accidentia sunt Casus & Genus. Verbo in omnibus Linguis accidunt Modus & Tempus, & ex horum variatione tandem oritur conjugatio. Advocabulum deniquè sua quoque habet accidentia, & vel circumstantivum est, vel Affectivum vel Continuativum. Tertia deniquè pars de vocum constructione suis quoque certis absolvi- tur membris. Hæc sunt ferè generalia illa, quæ in omnibus Libellis Grammaticis quarumcunque Linguarum locum invenire poterant. Interea tamè tam absurdos methodi novæ defensores nemo arbitretur quin cuilibet Linguae peculiarem assignandam Grammaticam ultrò largiantur. Ecquis enim ignorat (ut satis rudi rem declarem exemplo) Lingu-

MARIUS

am Latinam in Verbo agnoscere Conjugationes 4. & cuilibet assignare Conjugationi, significationem Activam & Passivam. Ubi statim deflectunt Græci non tantum longè plures numerantes Conjugationes, sed & significationem Mediam Verborum quæ tam activè quàm Passivè significet agnoscetes: Et aliter vicissim Hebræi cum cæteris orientalibus, qui unum idemque Verbum per quatuor deducunt conjugationes, in singulis miro compendio variatâ significatione; adeò ut docere & discere ipsis una eademque exprimatür voce, variatâ tantummodò verbi formâ & peculiari conjugationis characteristica.

Sed ne prolixitate nimia benevolentia Vestra abuti videamur axioma Didact. §. brevissimè quoque percipiendum erit, Illud ex sententia Raticij hoc est: *EA, quæ discenda sunt,*

mul-

NIHIL PROBANS.

multoties auditoribus prælegi debent, ut ex auditu addiscantur magis quam ut memorie mandentur.

Marius noster contrarium tuetur quanquam certum sit, eum Raticij mentem nequaquam affecutum esse. Non is loquitur de præceptis Grammaticis, pro ut illa in libellis peculiaribus descripta sunt, sed crebram hanc prælectionem & repetitionem ad Autorem adstringit, ex quo deinde per singularem inductionem pederentim præcepta deducantur: Quin etsi de priori quoque modo adfirmetur, magis tamen pro Raticio quam pro Mario militent rationes: Longè enim consultius est, si discens ignarus adhuc eorum quæ docentur, attentè audiat præeuntem præceptorem & simul præceptorum verum & genuinum sensum explicantem, quam si vitiosissime soli discenti in rebus nondum intellectis relinquatur labor. Et in autoribus hæc

hæc

MARIUS

hinc multò magis militant, Ibi enim con-
tinuam naturam fieret, si post unam saltem
aut alteram ad summum interpretatio-
nem omnem laborem devolvamus in
discipulum. Eidem sententiæ subscri-
bit & Helvici præcepto generali 10.
quandò inquit: Prima ætas solo auditu,
discat, confirmatio verò & visu & auditu.
Sic & in Aphorismis ab Helvico & Jun-
gio conscriptis, & à Rhenio editis hæc
docendi ratio comprobatur, ubi omnis
labor devolvitur in præceptores ita ta-
men ut minori cum tædio quàm factum.
hactenus est, id ipsum fiat & à discenti-
bus exigitur silentium Pythagorieum,
donec certus sit præceptor, discipulum o-
mnia probè percepisse.

Rationes Marij nullius sunt valoris.
Præterea Ratio, ex eo corruiit fundamento,
quod intellectio rerum, memoriam earum
precedere debet, uti suprâ quoque pro-
batum. At ille contrario plane modo
dexterius iudicium sibi promittit, si me-
moria res de iudicandas probè suggerat.

Ra-

NIHIL PROBANS

Ratione secundâ adeo ineptus est, ut consuetudinem hanc veterem docendi, pro lege agnoscat omnium gentium communi. Hæc Ictorum pueris in Scholis vestris persuadeas Mari, quemadmodum Ictus ex canonibus vestris iudicas de rebus Grammaticalibus ad Scholas pertinentibus.

Ratione tertiâ æquè ineptum sese præbet, dum ab initio solum discipulum patitur quam utrumque laborare debere putat. Quasi verò tenerrima istâ ætas perficiendo tam molestissimo labori & oneri sufficiat. Naturæ quoque hic ordinem universi demonstrarem, ni studium brevitatis retraheret. Ad consimilem enim modum sese habent docere & discere, quemadmodum in naturâ agere & pati, ubi operosa ista vis & æregyena, alteri rei habitum vel qualitatem inducens, in actione consistit, Et in subjecto recipientem tantummodo capacitas & habilitas requiritur: ut si in aquam frigidam per ignem introducere velimus calorem.

Ras

MARIUS

Ratione quartâ & ultima, non video quomodo verba ipsa & rerum verborum intellectum seu res verbis contentas divellere velit. Longe enim felicius verba intellecta hoc est sonus & res contenta conjunctim addiscuntur, quàm si sola verba quæ quandiu significatio non accedit, discenti plane sunt barbara, proponantur. Ex dictis nullo labore omnia ea quæ solutionis loco ad objectiones afferuntur, refelli possunt. In solutione *objectionis primæ* male & ἀφιλοσόφως ea divellit, contra Præceptorem proprium Aristotelem, quæ conjungenda. Tria enim isthæc φύσις, μάθησις καὶ ἀσκησις in comparando quovis habitu conjunguntur, & natura ab exercitatione nullo modo divellitur.

Pro solutione *objectionis ultimæ* quæ accumulatur Marius fortiter in eundem retorqueri possunt. Gratias enim agimus pro ingenuâ confessione,

quâ

NIHIL PROBANS.

quã dicit, licet aliquis exactissime
præcepta Grammatica memorie
mandaverit, multoties repetierit,
adhuc tamẽ multos occurrere scrupulos
& errores, nisi quis sit exerci-
tatus NB. practicus. Sed inde
sic inferimus: Ergò non detinendus a-
deò misere discens in theoriã præcepto-
rum quam solam & ubique crepat Mari-
us, sed usus eorundem ex autoribus
monstrandus: quod ipsum si recte fi-
at tanta certitudo in discantibus oritur,
ut errori nullus sit locus, sed potius
posito pignore regulæ veritatem defen-
dere ausit, & felicissimè ex varijs
authoris classici exemplis demonstra-
re, qualis & non alia in linguis
datur demonstratio. Mirari ta-
men interim non desino, cur
tam aperte autor hoc loco sibi metipsum
contradicat. Hoc ipsum enim

est

MARIUS

est quod cupiebamus, ut non in theoria detineretur discipulus, sed primâ statim horâ in linguâ etiam ignotissimâ ad praxin deduceretur. Redibit igitur uti speramus ad mentem saniozem, neque molestus erit ijs suis contradictionibus, quorum tamen mentem nunquam ipsum percepisse, ex proprijs probari & convinci potest scriptis.

Denique *Propositionem* 6. cum Marius ipse non impugnet sed novis allatis rationibus potius confirmet, neque nos hoc loco in eius vel declaratione vel probatione erimus operosiores.

Propositio septima & ultima, qua mentem suam & modum docendi de nuò repetit, quantum à nostra mente discrepet, neminem vestrum ignorare posse puto. Is enim veteri adhuc oberrans chorda, præviam præceptorum theoriam, antequam ad autorem accedatur, urget etiam num; cum nos non

tan-

NIHIL PROBANS;

tantum theoriam & praxin conjungenda, sed etiam ex quotidiana praxi præceptorum illam cognitionem & contemplationem deducendam juventutique inculcandam esse constanter asseveremus. Secundo loco fundamenta linguarum in lingua nota compræhendenda esse, tenaciter defendimus: At Marius ignotam hæc in parte admittit.

Denique quæ de simplicibus & compositis vocibus, item de proprijs & modificatis adducit, nos ad Lexica rejicimus, & à Lexicographo requirimus, ac proinde contra Raticium nihil valent. Nam si hoc nomine methodum hanc suspectam reddere velit, injuriosissimus est, cujus aliàs studium de proprijs & modificatis vocibus accurate discernendis laudamus & commendamus.

Quaestione sub sine adjecta quod attinet,
An nimirum Icto vitio verti queat tractare Grammaticalia? Nos de ea homini huic litem movebimus nullam,

E

mo

MARIUS

modò illius memor sit, quæ supra monuimus, ne videlicet ex decretis aut canonibus Juridicis, Grammaticalia dijudicare præsumat. Non enim in hac arena pugnamus tot vel tot annorum consuetudine, ex quâ Ictis jus tandem exsurgit, sed ratione potissimum & Experientia, omnium artium felicissimâ & certissimâ magistrâ.

Ita nunc dimittimus Marium nostrum de Strachindis Ictum, quisquis ille sit, simulque hîc notamus miserrimam & deplorandam Rationis humanæ cœcitate[m] etiam in rebus naturalibus, externis, leviculis & per experientiam ad oculum demonstratis. Neque hoc vitio tantum laborat Marius noster, *sed omnis nostra ratio humana*. Ita enim opponimus rationes & demonstrationes rationibus alijs, ut non tantum incauto & minus provido, sed etiam attentiori ita imponant lectori, ut quo se vertere,

cui

NIHIL PROBANS.

cui astipulari debeat, nullus videat. Ita scio cum hoc Mario idem sentire sat multos homines, atque Philosophos nonnullos in Academijs tales, quos cum admiratione plerique nostri seculi intuentur homines. Quibus tamen, si contrarium probetur experienciâ; collabascunt, & in nihilum recidunt omnes eorum speciosissimæ licet rationes, & demonstrationes. Hoc nobis vitium innatum ex perniciosissima ista *Φιλαντία* amoreque nostri ipsius, Quotus enim quisque nostrum est, qui vel affectus seponat & candidè de re ipsa judicet? Quotus quisque nostrum est, qui semetipsum & amorem sui ipsius hoc est, præconceptas & in juventute imbibitas opiniones exuat, & rem potius ipsam extra sese, quàm amorem sui ipsius in sese contempletur? Adeò mirè nobis placemus, si de nostris tantummodò opinionibus multa verba facere, easq; defendere queamus! Hanc dico deplorandam cœcitatem & obli-

E 2

qui

MARIUS

quitatem rationis nostræ humanæ ex
Protoplastorum lapsu contractam. De
cœcitate, tenebris & morte in rebus spi-
ritualibus nihil dicam, quam si quis juxta
normam & veritatem Spiritus Sancti
in Sacris literis loquentis asserat, furibun-
di quasi rationis humanæ plus quàm par
erat admiratores, & fastu plenissimi tales
asseriores injuriosos in bonas linguas, &
Artes novo mendacio novæque blasphe-
mia proclamant, nequitiosissimos omni-
um mortalium dictitant, horum famæ
nihil parcunt, imò ad sanguinem & vi-
tàm usq; læviunt. Adeò nimirum diffici-
le est, amorem sui ipsius exuere, & cum
Spiritu S. meliora sapere.

Sed non detinebo Vos amplius, Au-
ditores lectissimi, præsertim cum videam
vos omnes ab opinione Marij longissime
remotos, & ultrò nostræ sententiæ sub-
scribere. Audivistis n. rationes pro utraq;
parte allatas, ut à Vobis omnibus candi-
dum & sincerum, citra ullos affectus aut
præconceptas opiniones, mihi pollicear

NIHIL PROBANS

judicium. Absit enim longissimè, ut tanta
hominibꝫ innata sit pertinacia, ut in re o-
ptimâ nullis vel moveamur rationibus vel
experiētiâ, Rationes, temporis habitâ ra-
tione vidimus. Experientiam, DE O cle-
menter sanitatem largiente videbitis im-
posterum. Gratias proinde agimus, Cle-
mentissimo Patri coelesti, per dulcissi-
mum unigeniti Filij sui nomen, quod no-
stro quoque seculo Linguarum & Arti-
um culturam Ecclesiae & Reipublicae
bono florere & vigere voluerit; cum-
que humilimis animis rogamus, ut lucem
Evangelij accensam propagari, & ad
posterum quoque sartam rectam transfer-
ri velit. Gratias quoque ago & habeo
praesentibus Dominis Scholarchis adeo-
que toti senatui Urbis hujus Amplissimo,
quod non tantum Ecclesiae veros nutri-
tios sese esse ostendant, sed & Humanitatē
& Liberalitatem suam in me, immeri-
tum hactenus hominem exerceant, Eosque
ea quâ par est animi observantia rogo,

MARIUS NIHIL PROBANS.

ut favore & benignitate sua me imposte-
rum quoque fovere & complecti velint.
Quod ipsum si fecerint, meam quoque
fidelitatem & dexteritatem in do-
cendo experientur satis
superq̄s.

D I X I.

AD

Præstantissimum, atque Doctissimum Vir-
rum Dn.

M. GEORGIUM MEIERUM Hebr. L.
In Gymnasio Magdeburgensi LECTOREM
fidelissimum,

Edentem Orationem

De methodo Helviciana docendi linguas
Carmina amicorum amicissimorum.



*Sic certe est! Si quid studiosa ad com-
[moda pubis*

Maturius promovenda

Sagacioris ingenii Sanctus labor

Non sine divino nutu procudit, id ipsum

Acerbius persequendum

Distortioris ingenii dirus labor

Demonis instinctu sibi sumit, ut atterat, atq̄

Radicem prima in herba

Evellat excirpetq̄, ne fructum afferat.

Sic

Sic spina cribulig; manent, tormenta Scholarum;

Qua dum tibi demetenda

MEIERE sumis, nominis credo tui

Omne & instinctu divino adductus, abunde

Refers, quod e re Scholarum est:

Sic perge! messis hinc sequetur optima!

Dei Deus, ut methodi, quã clara Theoria pingit,

Praxis Scholam ornet latino

Græcog; provençu, beatam hebraico!

M. And. Cramerus.

ALIUD.



ÆC adeo turpis nostri vāsania

[seclī est;

Omnia ut ingrato compenlet

(vota labore.

Omnia sunt ingrata, nihil tētasse benigne est,

Id nisi Barbariēs quod; ritū usūq; probārit.

Sic licet ipsa quidē satis Experientia mōstret,

Quã miserē in studijs studia in diversa traha-

[tur

Flexilis in quæcūq; juventū crimina et artes;

Cœcis cuncta tamen stolidē taxantur ocellis.

Lumine quisq; caret sano, mentisq; serenæ

Judicio, quoties meliori luce videndum est,

Q. tamen Affectū reprimat conamine forti.

Clamitat heic quivis; Sophiæ sic pristinus ordo

Non fuit! Hæc aliter voluit, statuitq; Stageira

Cui quod contradicat, ab imâ stirpe revellat

Imo

Imperia atq; urbes ! adeò sibi nemo videtur
 Quid sapere absq; illo. Stolidi verò iste furor
 Est clamor, facili dū tu contraria ductu, (ris
Mejere, in reipia, non saltē nomine monstras.
 O pueri, ô Cives, si quid vel cernere Veri
 Cui curæ ante fuit, nunc nunc adsuescite
 [tandem,
 In studijs Verbo mentes concedere *Jovæ*.
 Barbaries, vanū est, Græcâ quod jactitat arte,
 Dum Praxin falso speculandi separat usu:
 Heic longè propius studijs cōpendia surgunt,
 Tu, *Mejere*, tuis conatibus utere felix,
 Ut ferat hoc certæ certa adiumenta Salutis:
 Affer opem magnis (tua laus erit unius) ausis,
 Et Procerum pia cœpta juva, quos tanta pe-
 (renni
 Usq; labore vides, urgere juvamina vitæ
 Ut tanto eripiant studia heu propè perdita
 (damno.

Joan: Angelius Werdenhagen
Jctus. & Secret. Magd.



102 898

X 2203568


ULB Halle 3
006 685 20X




66.

VD 17







MARIUS DE STRACHINIS
DIS NIHIL PROBANS,

Seu

ORATIO
INAUGURALIS PRO SO-
LENNI INTRODUCTIO-
NE HABITA.

MAGDÆBURGI,

*Prid. Calend. Jun: annis lxxc xlv, in qua
Marij de Strachinidis lci.*

RATICIVS NON RADI-
CANS EXAMINATUR ATQ; RE-
fatur: nec non Raticij naturæ congruentissi-
ma, & nullo auro comparanda methodus
docendi linguas, à plurimorum moribus
& scemmatibus vindica-
tur.

AUCTORE

M. GEORGIO MEIERO,
Einbeca - Saxone, HEBR. L. juxta
hanc methodum ibidem LE-
CTORE,

Magdab Typis ANDREÆ BEZELII, Sumtibus
AMBROSII KIRCHNERII, 1710

7